

re nequeant Parochi primam tonsuram, vel Ordines minores conferre: bene vero Abbates mitrati annuli, & baculi usum habentes, & ab Episcopo consecrati, seu benedicti, dummodo sint Sacerdotes; sed suis tantum subditis, vel etiam aliis dimissionas habentibus, num. 31, 32, 38. Ut licite Ordines recipiantur, recipi debent, vel a proprio Episcopo, vel ab alio de ejus licentia. Si quis aliter ordinetur, peccat mortaliter, & suspensionem incurrit; Ordinans vero incurrit suspensionem a collatione Ordinum per annum, & interim possunt ejus clerici ab aliis, absque ejus licentia, ordinari, num. 43. Tribus modis potest Episcopus dici proprius pro Ordinibus conferendis: Primo ratione originis: Secundo ratione domicili; Tertio ratione beneficii: & insuper ex Tridentino, ratione familiaritatis, n. 44.

106. Ex constitut. Innocentii XII. 4. Nov. 1694. Nullus Episcopus potest initiare prima tonsura sibi non subditum aut ratione Originis, aut domicili, sub pretextu beneficii statim a se conferendi, aut quia est jam presentatus a Patrono, vel nominatus ad beneficium Ecclesiasticum, etiam si beneficium institutum fuerit sub conditione, quod ad illud nullus institueretur, nisi prima tonsura insignitus. *Tract. 28. cap. 1. num. 726.* Nec etiam potest ullus Episcopus subditum alienæ Diocesis a proprio Episcopo tonsura insignitum, aut etiam ad Ordines minores promotum, ad ultiores Ordines promovere titulo beneficii a se collati in propria Diocesi, nisi prius obtentis literis testimonialibus de ætate, vita, & moribus, tam a proprio Episcopo originis, quam domicili, eique de facto exhibitis Episcopo ordinare parato. num. 728. Solus Episcopus originis, vel domicili valet proprios subditos prima tonsura insignire, non vero Episcopus beneficii. Si Clericus a loco originis discessit ea ætate, qua potuerit aliquod impedimentum canonicum contrahere, non potest ab Episcopo domicili ad Ordines promoveri sine literis testimonialibus Episcopi o-

iginis obtentis, & exhibitis, num. 730.

107. Ut quis fiat subditus alieni Episcopi, quoad effectum Ordines suscipiendi, debet Episcopus alienus Ordinando conferre beneficium sufficiens ad congruam vitam sustentandam juxta taxam Synodalem, aut morem regionis, detractis oneribus beneficio annexis. Ut Episcopus originis proprium subditum, (idem dicendum de Episcopo domicili,) ad minores Ordines promoveat, sufficit beneficium tenue: ut autem ad majores Ordines eum promoveat, opus est, quod beneficium sit sufficiens, ut dictum est de Episcopo alieno. *Tract. 28. cap. 1. num. 734. 735.* Si quis sine congrua sufficienti ad Subdiaconatum, sive miltioliæ, sive bona fide promotus est, nequit ad Diaconatum promoveri, nisi prius sufficientem congruam acquirat, n. 742. Beneficium sufficiens, cujus titulo possit Clericus ad minores, vel Sacros Ordines promoveri, debet actu haberi, & pacifice possideri, id est sine ulla in judicio, vel extra, facti, aut juris controversia. num. 744. 745. Valer quis ad Sacros Ordines promoveri titulo beneficii pacifice possit: licet non lucratur ejus fructus, nisi suscepto Presbyteratu; dummodo sit persona moribus, & scientia ita præditus, ut prudenter speretur, quod suo tempore ad Presbyteratum movebitur, & interim habeat, quo decenter sustentari valeat, n. 747.

108. Probabilis est, quod titulo Coadjutorie perpetuæ non possit quis ad Ordines promoveri. *Tract. 28. cap. 1. nu. 749.* Potest quis ordinari ad titulum prestimonii perpetui, nec non & Capellanæ perpetuæ, dummodo ad congruam sustentationem sufficiat; immo probabiliter etiam ad titulum Capellanæ vitalitiæ; quæ dicuntur personatus, & sunt vere beneficia ex speciali Papæ privilegio, licet non perpetua sed personalia, num. 752. Sine beneficio, aut Patrimonio probabilis est non posse Episcopum cum aliquo dispensare, ut titulo sufficientiæ, seu literaturæ Sacris Ordinibus initiatur, nu. 755. Regulares etiam Societatis Jesu possunt sine patrimonio, vel

be-

beneficio, solo titulo religiosa Professionis ad sacros Ordines promoveri, num. 756. 757. Episcopus alienus nequit dispensare super insufficientia beneficii, nec supplere cum patrimonio adjectione quod fructibus beneficii deest ad congruam sustentationem. num. 758. Probabilis est quod Episcopus alienum subditum ordinare non valeat titulo beneficii insufficientis, et si ejus redditus a proprio Episcopo patrimonio pingui augeantur, num. 760.

109. Fructus beneficii tenuis possunt ab alieno Episcopo suppleri alio beneficio in eadem Diocesi obtento, & titulo utriusque beneficii, ex quibus congrua sufficiens conflurgit, ad Ordines promoveri. *Tract. 28. cap. 1. num. 762.* Minime, vero possunt, in probabiliore sententia fructus beneficii tenuis suppleri alio beneficio in diversâ Diocesi obtento, neque distributionibus quotidianis, quæ inter præsentibus distribuuntur; bene vero iis distributionibus, quibus etiam impediti, & absentes fruuntur in eadem Diocesi, num. 765. 769. Subditus ratione originis, is tantum intelligitur qui natus est in ea Diocesi, dummodo non ex accidenti, scilicet occasione itineris, officii, legationis, mercaturæ, aut alterius patris sui permanentiæ ad tempus in eo loco: in quo casu attendenda est origo patris. Episcopus autem illius Diocesis, in qua quis naturaliter, non autem per accidens natus est, dicitur Episcopus originis, nu. 772. 773. Quoad Ordines suscipiendos non attenditur origo ex Baptismi loco. nu. 774.

110. Si filius Romæ per accidens natus est, pater vero domicilium habeat Bononiæ, sed Neapoli natus est: tunc filius quoad Ordines suscipiendos censendus est originarius Diocesis Bononiensis, in qua pater domicilium habet. *Tract. 28. cap. 1. num. 777.* Si parentes in duabus Diocesibus domicilium habeant, ita quod æque moraliter utrobique habitent, nullus eorum Episcopo novo quoad Ordines conferendos censendus est Episcopus domicili, num. 781.

In filio illegitimo quoad Ordines suscipiendos attenditur origo matris, aut ejus domicilium, num. 782. Origo infantis expositi sive legitimi, sive illegitimi, cujus parentes ignorantur, desumitur a loco Hospitalis, aut domus in qua alitur permanent, non vero a loco ubi primo fuit expositus, num. 783. Derelicti, qui nec parentum nomen, nec patriam noverant, originem habent a loco ubi domicilium contraxerunt: si vero nullibi domicilium habeant, recurrendum est ad Sedem Apostolicam, ut possint a quovis Episcopo ordinari. Libertini sunt, qui nascuntur ex patre, qui fuit servus, sed tempore natiuitatis filii jam erat manumissus. Liberti dicuntur, qui fuerunt servi, sed manumissi sunt. Servi in servituti statu ordinari non possunt. Origo libertinorum, ut supposita licentia ordinari valeant, sumitur ob origine dominorum; si eorum parentes nullibi domicilium habeant; si vero alicubi domicilium habeant, inde sumunt originem. Liberti originem sumunt a loco originis naturalis dominorum, n. 784.

111. Ut quis sit Episcopi subditus; ratione domicili quoad effectum Ordines recipiendi, requiritur quod manifestet cum juramento, se animum perpetuo manendi in tali loco ab initio habuisse, & quod ibi habitet saltem per decennium cum eodem animo, vel transierat majorem bonorum suorum partem, instructis ædibus, & per considerabile tempus ibi commoretur. Hæc autem requiruntur pro eo qui est sui juris, & capax sibi eligendi domicilium. Si vero sit sub patria potestate, factis est quod natus sit in loco, ubi pater juxta prædicta domicilium habet. *Tract. 28. cap. 1. num. 786. 787.* Tempus autem considerabile censetur esse triennium, num. 788. Verius est possibile mutare domicilium, ut ab Episcopo novi domicili ordinetur, illum, cui forte ab Episcopo primi domicili, aut originis, iuste, vel injuste Ordines denegati sunt, num. 790. Natus Episcopus familiares suos alienæ Diocesis ad Or-

di-

dines; vel etiam ad primam tonsuram potest promovere, nisi per triennium secum fuerit commorati, & literas testimoniales Episcopi originis, sive domicilii habuerint; & insuper ipse Episcopus intra mensem a die promotionis, conferat Ordinato, seu prima tonsura insignito beneficium sufficiens ad decentem vitam sustentationem; & hæc sufficiunt, ut Episcopus titulo familiaritatis alicum alienæ Diocesis possit ad Ordines promovere. num. 794. 795. 796.

112. Ut quis familiaritatis privilegio fruatur sufficit quod per triennium integrum fuerit in obsequio Episcopi, & ejus expensis vixerit, licet in diversa domo ejusdem loci habitaverit. Tracl. 28. cap. 1. num. 799. Triennium computatur a die assumptionis ad Episcopatum pro his, qui dum assumptus est, jam erant in ejus obsequio. nu. 803. Si familiaris post triennium dimittatur, non amplius potest titulo familiaritatis ordinari. num. 804. Si familiaris triennalis ordinandus jam habeat in alia Diocesi beneficium, non erit necesse quod Episcopus ei novum conferat beneficium, ut cum possit ad Ordines promovere. num. 807. Si beneficium, quod Episcopus familiari promovendo conferre tenetur, sit tenue; in probabiliore sententia nequit Episcopus illud patrimonio supplere; nec eo titulo ipsum ordinare potest. num. 810. Nequit Episcopus familiarem triennem alienæ Diocesis titulo patrimonii, aut pensionis ordinare. Nec potest cum suo familiari triennali alienæ Diocesis dispensare super illegitimitate ad Ordines etiam minores, nec super interstitiis, nisi pro Ecclesiæ necessitate, aut ratione beneficii collati; quia ratio hujus sit ejus subditus. nu. 814. Possunt Domini Cardinales suam familiarem ad primam tonsuram, & minores Ordines promovere absque literis testimonialibus Episcopi originis, vel domicilii ex tacita Pontificis concessione. 815.

113. Possunt Episcopi originis inquirere de titulis Ordinum ab alienis Episcopis collatorum ordinandos quoad scien-

tiam examinare: & collatorum Ordinum testimoniales literas diligenter perquirere. Idemque dicendum de Episcopis domicilii. Tracl. 28. cap. 1. nu. 816. 817. Episcopus originis nequit inquirere de suo originario ab Episcopo domicilii ad Ordines promotus: nec Episcopus beneficii de ordinatis ab Episcopis originis, vel domicilii. Episcopus domicilii, cui conceditur inquirere, non est ille, qui erat Episcopus domicilii cum promotus Ordines ab alieno Episcopo suscepit, sed actualis Episcopus domicilii tempore inquisitionis. Episcopus originis, aut domicilii nequit inquirere de ordinatis titulo familiaritatis. num. 821. Si quis ordinetur ab Episcopo alieno, cum dimissoria proprii Episcopi originis, aut domicilii, tunc nequit fieri inquisitio de Ordinum susceptorum testimonialibus literis. num. 823. Capitulum, sede vacante, nequit inquirere de literis testimonialibus Ordinum collatorum ab Episcopis alienis suis subditis. num. 824. Hæc de titulis Ordinum inquisitio, tum ab Episcopo, tum a curialibus, & notario omnino gratis facienda est. n. 825.

114. Pœnæ, quas ipso facto incurrunt tum ordinantes, tum ordinati contra præscriptum Bullæ Innocentiæ, sunt: suspensio Collatoris ab Ordinum collatione per annum; & ordinati a susceptorum Ordinum exercitio, quando proprio Episcopo videbitur; & talis suspensio toties incurritur quoties transgressio per novi Ordinis suspensionem, aut omissionem quamlibet eorum quæ in eadem Bulla pro conferendis, vel recipiendis Ordinibus præscribuntur, iteratur. Tam Episcopus ordinans, quam dimissorias concedens proprio subdito, ut ab alieno Episcopo contra hucusque traditam dictæ Bullæ dispositionem ordinetur, dictam suspensionem incurrunt. Istæ suspensiones ipso facto incurruntur absque ulla Judicis sententia. Ab incurrenda hæc suspensio alicuique pœnis in hæc Innocentiana Bulla contentis excusat quælibet ignorantia etiam affectata. Tracl. 28. cap. 1. n. 827. 828. 829. 830. 831.

115. Episcopus ex rationabili causa impeditus potest præmissis examine Ordinandi de scientia, vita &c., et literas dimissorias præbere, ut ab alio Episcopo ordinetur, quæ literæ morte concedentis non expirant. Tracl. 8. cap. 4. n. 58. Quilibet Episcopus propriam Diocesim habens, electus, & confirmatus licet non consecratus has literas concedere potest. num. 59. Debent in literis exprimi Ordines pro quibus conceduntur; & si non exprimantur, intelligendæ sunt de Ordinibus minoribus. nu. 61. Vicarius Episcopi sine speciali facultate sibi ab Episcopo concessa nequit dimissorias præbere, nisi Episcopus per unam saltem dietam distet a Diocesi. nu. 62. Capitulum, sede vacante, vel Vicarius ab eo deputatus literas dimissorias præbere non potest, nisi elapso anno ab obitu Episcopi, vel in casu quo quis coarctetur ad Ordines intra illud tempus suscipiendos, ratione beneficii, præbendæ, vel Capellanæ id exigentis. num. 65. Abbates Magnates jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, possunt suis subditis secularibus dimissorias concedere, ut a quolibet Episcopo nedum minoribus, sed & majoribus Ordinibus initiuntur; ceteri vero Abbates solum suis subditis Regularibus eas præbere possunt. Regulares exempti dimissorias a suis propriis Prælati nempe Provinciali, vel Generali recipiunt, ut a quolibet Episcopo ordinari possint. num. 67. 68.

116. Ad Ordines suscipiendos requiritur quod initiandus sit baptizatus, aliter irrita est Ordinatio. Debet etiam esse confirmatus, sed hoc non requiritur sub mortali. Conferens, vel recipiens Ordines in mortali, mortaliter peccat. Aliqua censura, vel inhabilitate innodatus si Ordines quoscunque, aut etiam primam tonsuram conferat, aut recipiat, mortaliter peccat, & insuper recipiens suspensionem incurrat ab executione Ordinis recepti: conferens vero ipso facto irregularitatem incurrat. Irregularis Ordines, vel etiam primam tonsuram recipiens, valide quidem initiatur, sed

mortaliter peccat. Tracl. 8. cap. 4. nu. 71. 72. 73. Debet quoque initiandus prius exercuisse munus Ordinis jam recepti, alioquin ad altiores ascendere non potest; mortaliter tamen non peccat, si secus faceret. Ordinatio debet fieri in propria Ordinantis Diocesi; in aliena autem fieri non potest, nisi ex Diocesanæ licentia. Ad prima tonsura proprio subdito secreta ubique conferri potest.

117. Servanda sunt quoque interstitia debita unius anni inter unum, & alium Ordinem: verum in hoc potest Episcopus dispensare. Qui autem non servatis interstitiis, aut illorum dispensatione non obtenta Ordines suscipere, peccat mortaliter, suspensionem tamen non incurreret: dispensatio autem super interstitiis concedenda est a proprio Episcopo, sive ipse ordinat, sive præbeat dimissorias; pro Regularibus autem hæc dispensatio spectat ad Generales, vel Provinciales, non obstante quadam declaratione Cardinalium, quæ intelligenda est; præcisè privilegiis. Tracl. 8. cap. 4. num. 86. 88. Servanda sunt quoque tempora Ordinationum: sunt autem pro minoribus Ordinibus ser. 6. præcedens Ordinatione, vel ipsum Sabbatum Ordinationum, & quolibet anni festum: pro majoribus vero sex dies Sabbati assignati. Eodem die primam tonsuram, & omnes Ordines minores, & etiam, justa interveniente causa, Subdiaconatum potest Episcopus eidem subdito conferre: si quis vero eodem die duos sacros Ordines recipere, peccaret mortaliter, & suspensionem ab exercitio illorum ipso facto incurreret. Si quis tamen defectus substantialis in Ordinatione contingat, potest eodem die, vel Dominica sequenti, vel quovis anni tempore suppleri. n. 78. 79.

118. Qui a Summo Pontifice facultatem obtinuit ad recipiendos ubique Ordines, non servatis temporibus a jure requisitis, potest tribus diebus festis successivis omnibus sacris Ordinibus initiari; nec indiget literis dimissorias sui Episcopi, sed tantum testimonialibus de vi-

ta, & moribus, sine quibus Ordinans suspensionem per annum a collatione Ordinum incurrit; Ordinatus vero suspensionem ab executione Ordinis suscipit. Debet tamen omnino examinari; & si non inveniatur idoneus, illa facultas expirat. Tract. 8. cap. 14. num. 81. Regularis virtute suorum privilegiorum, & præcipue Clem. VIII. & Urbani VIII. 28. Martii 1634. possunt, extra-tempora in iure statuta, ubique ab Episcopis tuta, conscientia ordinari absque novo indulgentia ordinari absque novo indulto: prout etiam declaravit novissime in Concilio Romano tit. v. cap. 2. Benedictus XIII. n. 84. *119.* Ad Ordines suscipiendos omnino requiritur nedum necessitate præcepti, sed etiam Ordinis, virilis sexus. Tract. 8. cap. 5. num. 6. Hermaphroditus in quo sexus virilis prævalet, cum sit absolute vir, potest quidem valide ordinari, sed irregularis est. Si jam facta ordinatione prævaleret in ordinato sexus femineus, remaneret quidem character in anima, sed non posset amplius consecrari &c. Si femina erumperet in virum, posset quidem valide ordinari, non tamen licite propter scandalum, & admirationem, nisi res omnino esset occultata. n. 14. 15. 16. Pueri ante usum rationis possunt valide quolibet Ordine initiari, ut autem licite, requiritur pro prima tonsura ætas septem annorum; pro Subdiaconatu requiruntur 22. anni, pro Diaconatu 23. anni, & pro Sacerdotio 25. saltem incepti. Pro Cardinalatu 22. requiruntur anni, pro Episcopatu 30. Pro minoribus Ordinibus, & pro Papatu nulla assignatur ætas; invalide tamen eligetur in Summum Pontificem usu rationis carens. Qui verb. grat. die 5. Aprilis complet annum 24. hora 6. post meridiem, potest eadem die mane, hora consueta, Sacerdotio initiari. num. 29. 30. 31. Modò revocata sunt omnia privilegia Regularium Ordines recipiendi ante ætatem a Tridentino requisitam. num. 37. Qui absque ætate legitime Ordinibus sacris scienter ordinatus fuerit; incurrit ipso facto penam suspensionis in perpetuum, & cujus dispensa-

tiõ, nisi occulta sit, Summo Pontifici est reservata; & si ante dispensationem in ministerio se exercuerit, incurrit irregularitatem Summo Pontifici pariter reservatam. Qui bona fide, & ex ignorantia etiam crassa, dummodo non affectata, ante ætatem ordinatus fuerit, completa illa, potest absque ulla dispensatione Ordines exercere: & si ante ætatem completam ministrat, peccat quidem mortaliter, sed irregularitatem non incurrit; ad quam requiritur presumptio, quæ in ignoranter Ordinato, & ministrante non datur. n. 39. *120.* Ut quis ad Ordines promoveatur, bonitas vitæ requiritur; & ideo ultra statum gratiæ, requiritur in initiando morum honestas, sobrietas, castitas &c. Debet autem hoc examen fieri a proprio Episcopo, qui dat literas dimissorias; juxta formam a Tridentino traditam sess. 23. cap. 5. & 7. Et peccaret mortaliter Episcopus si eum quem scit esse indignum, aut moribus, & vitæ depravatam ordinaret. Hæc autem inquisitio quoad Regulares a suis propriis Prælati fieri debet, quorum commendationi, & approbationi Episcopus acquiescere potest. Tract. 8. cap. 5. num. 40. 42. Non solum prohibitas vitæ, sed etiam scientia requiritur in promovendis ad Ordines. Pro prima tonsura, scire debent legere, & scribere, & Fidelitatem. Pro minoribus Ordinibus requiritur etiam ut latinam linguam intelligant. Pro Subdiaconatu, Diaconatu, & Sacerdotio præter dicta requiritur, quod initiandus sit instruitus in his, quæ ad suum Ordinem spectant. Major autem scientia requiritur in eo cui traditur cura animarum, quam in simplicibus Sacerdotibus. Peccabit autem mortaliter Episcopus, qui nescientem, quæ a Tridentino requiruntur ordinare. num. 43. 44. 46. Pro Regularibus ordinandis minor scientia requiritur, & sufficit ea, quæ pro debito suorum Ordinum ministerio exercendo est necessaria. Qui omnino illiteratus est, ita quod nec prima limina grammaticæ salutaverit, irregularis est, nec potest etiam a Summo Pon-

Pontifice super hanc irregularitatem dispensari. n. 47. *121.* Non peccat mortaliter Clericus tonsura, & minoribus Ordinibus initiatus uxorem ducens; & si ex justa causa id faciat, neque venialiter peccat. Tonsuram, & minores Ordines recipiens cum positivo animo recedendi; & uxorem ducendi, probabilis est, quod peccet mortaliter, etiam si absit contemptus, vel alia prava circumstantia, & id faciat, ut interim beneficio, aut privilegiis clericalibus perfruatur. Tract. 8. cap. 5. num. 54. Probabilis quoque est peccare mortaliter qui principaliter animo evadendi sæcularem potestatem, tonsuram, & Ordines minores suscipiet, & postea regrederetur. Peccat mortaliter, qui Ordines suscipit, animo obtinendi beneficium pingue, vel ejus fructibus se alendi, donec studia perficiat, uxorem divitem inveniat &c.; si hic sit solus, & unicus, aut præcipuus ejus finis. n. 57. 58. 59. Obligatio continentie ab Ecclesiæ exordio Sacris Ordinibus fuit annexa. Tract. 8. cap. 6. num. 1. Votum castitatis Sacris Ordinibus annexum ad tria obligat. Primo. Ne quis Sacris Ordinibus initiatus contrahat matrimonium; quod non solum illicitum, sed & irritum facit. Secundo. Quod si quis uxorem Sacris initiatur, ab uxore abstinere; quod si absque uxoris consensu Ordines suscipiat, poterit quidem reddere, sed non petere debitum, ut infra dicitur. Tertio. Quod ab omnibus aliis veneris extra matrimonium illicitis abstineat. nu. 2. Hoc votum non est ex jure divino Sacris Ordinibus annexum, sed tantum ex Ecclesiastica institutione. num. 11. Obligatio continentie non oritur immediate ex ipsa Ecclesiastica lege, sed ex voto Sacris Ordinibus annexo: & ideo Sacris initiatus carnaliter peccans, sacrilegium committit. num. 26. Ignorans invincibiliter votum castitatis esse Sacris Ordinibus annexum, adhuc tenetur tali voto implicite emissio. n. 35. *122.* Qui invalide ordinatus est, & quocunque capite Ordinatio sit nulla, voto castitatis non tenetur, quia corru-

ente principali coarctat accessorium. Qui ante usum rationis, vel ante pubertatem Sacris initiatus est, ad votum castitatis non tenetur, & potest valide, & licite contrahere matrimonium; non potest tamen antequam ad debitam ætatem perveniat, licite in susceptis Ordinibus ministrare. Completo autem pubertatis anno, immo ut probat Sanchez 16. anno, debet vel statutum clericalem eligere, & tunc voto obligatur; vel statum sæcularem amplecti, & tunc non amplius poterit clericalem habitum ferre, aut in Ordinibus ministrare. Si igitur completo 16. anno ordinationem verbis, vel factis ratam habeat, sciens, & advertens obligationem annexam, statim voto tenetur, nec potest amplius resilire. Tract. 8. cap. 6. num. 41. 42. 43. 44. Metu gravi incussio sacris initiatus voto non tenetur; nisi metus ex justa causa incussus fuerit, vel nisi transacto metu, sciens nullitatem sui voti, verbis, vel factis Ordinationem ratam habeat, eam laudando, & confirmando, vel habitus clericalis gestatione, & susceptorum Ordinum exercitio. 45. 46. *123.* In casibus in quibus votum castitatis non obligat, nec etiam obligat recitatio Officii divini. In casibus prædictis in quibus Ordinatus non tenetur ad votum, si virginem ducat, potest ea mortua ad statum clericalem redire. Ordinatus uxorem ducens non gaudet clericibus privilegiis. Tract. 8. cap. 6. num. 49. 50. Non licet conjugato absque licentia uxoris libera, spontanea, & expressa, vel juxta interventum divortio, ad Sacros Ordines promoveri; si ve non. Si quis autem uxoratus absque tali licentia Sacris initiaretur irregularitatem incurreret, quæ durat etiam mortua uxore, ratione cujus irregularitatis, nec in suscepto Ordine ministrare, nec ad alium accendere potest. Immo qui invita uxore Ordines Sacros suscipit, ipsa petente tenetur ad eam redire, & debitum reddere, sed non petere potest. nu. 54. Ex licentia uxoris libera, sponta-

tanea, & expressa potest uxoratus ad Sacros Ordines promoveri; dummodo etiam uxor uoveat castitatem, & si sit juvenis, Religionem ingrediatur. Quod si vir Sacris initiatus ad Episcopatum assumatur, debet uxor etiam si vetula sit, propter specialem decentiam Monasterium ingredi, num. 57. 58. Potest etiam conjugatus ex iuxta causa, divortii Sacris initiari, uxore inficia, vel etiam in vita; & etiam Religionem ingredi, nu. 60.

124. Ex Tridentino nullus potest ad Sacros Ordines promoveri sine titulo, quo possit decenter sustentari; indignum est enim Sacro Ministro ostium mendicare, aut artem mechanicam exercere. Titulus hic quadruplex esse potest. Paupertatis in Religione sacra approbata professæ; sufficientiæ; Patrimonii; & beneficii. Tract. 8. cap. 6. num. 61. Si Episcopus aliquem mala fide sine titulo ordinet, eum tenetur alere usque dum congruum beneficium obtineat; si aliunde non habeat unde decenter vivere possit, num. 62. 63. Titulo paupertatis religiose possunt omnes Regulares Sacris Ordinibus initiari, seclusis Novitiis; qui autem nullitatem suæ Professionis sciens, titulo paupertatis ad Ordines accederet, peccaret mortaliter, & suspensionem incurreret, num. 64. Titulo sufficientiæ præcise, absque patrimonio, aut beneficio; quia videlicet est vir maxime doctus, vel graduatus in Theologia; vel jure canonico, aut togatus in aliquo Collegio, cum spe in proximo adipiscendi aliquod beneficium, dignitatem &c., ex Tridentino ad Ordines sacros promoveri non potest, n. 66.

125. Ut quis titulo beneficii possit Sacris Ordinibus initiari, debet in quietâ possessione habere beneficium ad congruam sustentationem, five ex se, solum, five una cum patrimonio sufficientis. Nec potest beneficium, ad cuius titulum quis est ordinatus, valide resignari, nisi exponat, se ad illius titulum fuisse ordinatum; nec resignatio admitti, nisi constet aliunde eum posse decenter alere. Tract. 8. cap. 6. num. 67. Potest ali-

quis Ordinari ad titulum quotidianarum distributionum: perpetuæ Capellanie si ejus possessionem jam accepit; prestimonii perpetui; pensionis perpetuæ sufficientis; secus ad titulum beneficii de se insufficientis, quod postea sufficiens fit ex elemosynis, aut ex Misarum, & anniversariorum incertis stipendiis, num. 68. 69. Non potest aliquis Ordinari ad titulum beneficii, quod citò consecuturus est, nisi de facto illud pacifice possideat; nec sufficit illius titulum accepisse, si a possessione etiam injuste impediatur, n. 70. 71.

126. Patrimonii nomine veniunt omnia illa bona, quæ immobiliter ab Ordinario possidentur five paterna, five materna, five adventitia, five castranea sint, dummodo ea pacifice possideat, & habeat illorum dominium, & sufficientiam ad congruam vitæ sustentationem, & non sint ære alieno gravata, aut hypothecata. Tract. 8. cap. 6. num. 76. Nequit filius patris divitis ordinari ad titulum hæreditatis futuræ, nisi prius pater assignaverit patrimonium certum, cuius possessionem acquirat. Poterit tamen ordinari quilibet ad titulum census perpetui etiam redimibilis; non vero ad titulum legati vivente testatore, nu. 77. Qui cum patrimonio factò ordinatur, mortaliter peccat. Si quis ab amico vere patrimonium acciperet, & dominium illius, sed facta contra scriptura; vel data fide, aut juramento de restitendo post ordines susceptos patrimonio, tam donans quam donatarius mortaliter peccat; & cum ordinatus, (quidquid sit de foro externo,) teneatur in conscientia stare promissis, & reddere patrimonium; etiam suspensionem incurrit saltem in foro conscientie, num. 78. 80. 82.

127. Renunciatio patrimonii, vel pensionis, ad cuius titulum quis ordinatus est, omnino invalida est. Sine Episcopi licentia, etiam si ordinatus aliunde acquirerit congruam sustentationem, nec licite, nec valide patrimonium renunciare potest. Tract. 8. cap. 6. nu. 83. 85. Bona patrimonialia in titulum Ordinis fa-

sacri concessa vident omnibus privilegiis bonorum Ecclesiasticorum. Si filius invitatus, alere velit Sacris Ordinibus, tenetur pater patrimonium sufficientiæ assignare, & ad hoc cogi potest a Jure Ecclesiastico, nu. 88. De exemptionibus, & immunitatibus Ecclesiasticorum Vid. Tract. de Privilegiis.

## TRACTATUS XV.

## De Sacramento Matrimonii.

## PROŒMIUM.

INTER omnia novæ legis Sacramenta novissimum locum obtinet Matrimonium; eo quod, ut dicit D. Thomas, minus participat de ratione spiritualis vitæ, ad quam Sacramenta ordinantur. Primo tamen de sponsalibus agendum est, quæ sunt veluti præambulum Matrimonii.

## CAPUT I.

## De Sponsalibus.

1. Sponsalia sunt mutua promissio futuri Matrimonii, signo aliquo sensibili expressa. Tract. 9. cap. 1. nu. 2. Copula sponsi cum alia, vel sponsæ cum alio non est adulterium saltem in foro conscientie, sed fornicatio, & filii inde nati non sunt spurii, sed naturales illegitimi: Verius tamen est talem copulam superaddere novam speciem in confessione aperendam, propter injuriam, quæ parti irrogatur, nu. 4. 5. 11. Promissio sponsalitia debet esse mutua, & ex parte utriusque acceptata, num. 13. 14. In promissione sponsalitie acceptatione præcise sumpta, non includitur expressa vel tacita repromissio, dummodo constet promittentem se voluisse obligare libere, & spontaneè absque onere repromissionis, num. 18. 21. In casu quo quis se obligat absque onere repromissionis ex parte alterius, tenetur sub mortali stare promissis, quod est commune omni promissioni acceptatae de re gravi, nu. 22.

2. Qui animum promittendi non habet, licet verbis exterius promittat, non obligatur ad promissionem adimplendam. Qui habuit vere animum promittendi, & se obligandi, sed non adimplendi, adimplere tenetur quod promissit. Qui sciens ex promissione obligationem oriri, immemor illius, nec ad illam attendens promittit, promissioni stare tenetur. Ignorans ex promissione obligationem oriri, si promittat, non remanet obligatus. Tract. 9. cap. 1. nu. 25. 26. Probabilius, & verius est, eum qui sicte promissit, & habuit animum promittendi, sed non se obligandi, non teneri alteri promittat, ut in sponsalibus contingit, n. 28. Si sub tali facta promissione damnus parti sequatur: ut si v. g. vir deciperet virginem, & sub facta promissione Matrimonii eam defloraret; aut copulam a Vidua honestæ famæ extorqueret: si mulier sit æqualis conditionis, aut melioris, eam ducere tenetur; dummodo inde non immaneat gravis damna, vel scandala; in hoc enim casu sufficit eam dotare, vel de seipso providere; sicut etiam si vir sit divitiss, nobilitate, aut aliis qualitibus notabiliter altioris conditionis, nu. 34. 39. 40.

3. Ad Sponsalia requiritur promissio manifestata per verba, quæ sponsalitiam promissionem sufficienter significant, vel per signa consensum sponsalium, juxta consuetudinem locorum experientia. Promissio per verba negativa, v. gr. Non ducam aliam nisi te: Non aliam quam te; secundum viorem sententiam solum obligat sub conditione, quod si velit nubere, debeat ducere illam. Quando parentes, five in presentia, five in absentia filiorum, five puberes, five im-

im-